UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini, ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Scrvpvlosvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

Visual Library

lo, qui eſt Chriſtus, & vicarios Chriſti dubios pro dubijs teneat, nulli vt certo adhæreat: quia exponeret ſe periculo errandi, & temere ageret, dubio põtifici inhærere tanq̃ certo. Deinde conſulat peritos, & conſentiatos, à quibus ſi firmũ habuerit conſilium, illud ſequatur. Si verò conſilium adhuc ſit in ambiguo, non ſe determinet ad hunc, vel illum, donec veritas fuerit manifeſta. Conſentit Caie. in ſum. ibi, & ita tenendum eſſe arbitror.

3 LICET ſimpliciter hęreſis ſecund. Thom. ſuprà. a. 2. ſit maius peccatum quàm ſchiſma, tamẽ aliquãdo maius eſt ſchiſma, vel propter maiorẽ cõtemptum, vel propter maius periculum.

4 DE pœna ſchiſmaticorũ conueniẽs eſt ſecun. Th. ſupr. ar. vl. quod excommunicentur, ſicut voluerunt ſe à communione membrorũ eccleſiæ ſeparare, quãdoq; etiam per depoſitionẽ puniuntur. d. 23. c. in nomine dñi. & c. 2. de ſchiſmati. Recipiẽtes ordines à ſchiſmaticis ſcienter, vel ex craſſa ignorantia, ſolus Papa diſpenſat: ſecun. quod not. Pa. in c. fi. eo. ti. Si verò ex probabili ignorantia, epiſcopus poteſt diſpenſare. ar. c. 1. & 2. de or. ab epiſc. qui re. non tamen ab eo, qui eum ordinauit, quamuis poſteà redierit ad vnitatem: vt not. glo. in d. c. fi. Etiam a ijs modis puniuntur. ar. c. quid autem. 23. qu. 7. & c. nec licuit. 17. d.

Pecunialiter etiam puniri poſſunt. arc. 23. q. 7. c. quid ait. Sunt etiam excõmunicati. per. c. licèt, de elect.

SCRVPVLOSVS.

1 SCRVPVLOSVS eſt, qui ſcrupulis, hoc eſt, commotionibus agitatur. Et quidàm dicitur ſcrupuloſus in recognoſcendus peccatis præteritis, & in vitandis futuris timoratus, & talis communiter in bonum finem conducitur. Quidam verò ſcrupuloſus eſt in recognoſcendus præteritis peccatis, ſed in cauendus futurus negligens eſt & huic æterna damnatio propinqua eſt: quia ad maiora facinora paulatim deſſuit.

2 CAVSA huiuſmodi ſcrupuloſitatis aliquando eſt diabolica ſuggeſtio, aliquando debilitas cerebri, aliquando melancholica complexio, aliquando debilitas ex nimijs vigilijs & abſtinentijs, aliquando ſocietas taliũ perſonarum: vt not. Arch. Flo. in 1. part. tit. 3. c. 10. Ex ſcrupuloſitate naſcitur puſillanimitas: ſecundum Ber. & perturbatio, ac deſperatio, quæ interimit ſpiritum hominis.

3 REMEDIVM ſecundum Caie. ibi in ſumma, cõtra ſcrupuloſos eſt diuina gratia aſſiſtens, & cuſtodiens, quæ proprijs & alienis orationibus, ieiunijs, & eleemoſynis à Deo deuotè quęrenda eſt. Remediũ aũt humanum eſt conſulere peritos, & bonos, & acquieſcere, vitare principia ſcrupulorum, id eſt, cogitationes de rebus ſcrupuloſis: quia hæ ſunt cauſæ naturales ſcrupulorum. Particulare autem remedium eſt vitare tot reconfeſſiones peccatorũ præteritorum ſemel bene confeſſorũ, niſi eſſet quis dubius an ſit de eo confeſſus, vel non.

4 QVANDO autem occurrit alicui ſcrupulus, vel de peccato confeſſo, vel aliquo alio, videat per ſe ipſum ſi habet tantam cognitionẽ, vt ſciat diſcernere veram conſcientiã ab erronea, & tunc dimittat erroneam: quod ſi non poteſt, conſulat peritos, & ſtet quietus ad conſilium ſapientis: quia nõ poteſt errare, ſi format ſic conſcientiã, & dimittat ſcrupulum: quòd ſi non relinquit, tunc vel eſt ſuperbus, vel ſtultus, & hoc credo melius remedium: Si eſt fatuus, non poteſt peccare ſequẽs ſcrupulum, peccat ergo, quia ſuperbus, & non vult alieno cedere conſilio. Vide aliquid ſuprà, Conſcientia. §. 1. Aliud optimum remedium eſt ſolicitè cauere etiam à venialibus peccatis, quantum poteſt.

SCVRRILITAS.

SCurilitas, qua quis alios ad riſum inhoneſtè prouocat, geſtibus, vel verbis, ex defectu rationis prouenit: ideò peccatum eſt honeſtæ vrbanitati oppoſitum, quod gulæ filia ponitur: vt ſuprà. Gula. §. 6. & ex ſuo genere non eſt mortale, quia nec

contra